







EPISTOLA
PASTORALIS

AD CLERUM
POPULUMQUE UNIVERSUM
ARCHIDIOECESIS RHEGIENSIS.



ROMAE MDCCCXXIX.

PRELIS ANGELI AJANI

Praesidibus annuentibus.



FR. LEO EX DYNASTIS CIAMPA

ORDINIS MINORUM EXCALCEATORUM S. FRANCISCI

SUB REFORMATIONE S. PETRI DE ALCANTARA

DEI, ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA

ARCHIEPISCOPUS RHEGINUS

PRAESUL DOMESTICUS ET PONTIFICIO

SOLIO ASSISTENS

VENERABILIBUS FRATRIBUS AC DILECTISSIMIS IN CHRISTO FILIIS

ORDINI CANONICORUM, PAROCHIS, UTRIQUE CLERO,

ET POPULO UNIVERSO DIOECESIS SUAE

Pacem, et salutem in Domino sempiternam.

Ego vir videns paupertatem meam, ac infirmitatis meae satis conscius in iis muneribus obeundis totus eram quibus pro aetate jam jam ingravescente, et pro ingenii mei tenuitate admodum fungi posse videbar in Ordine Minorum sub reformatione S. Petri de Alcantara, cui ab ineunte adolescentia nomen dederam, ac in eo Coenobiis praefueram, Visitationem generalem expleveram, et modo Praefecturam Provinciae gerebam, cum evocor inopinato ad Episcopale officium, quod ab Augustino, ut scriptum legimus, nuncupatur *magnum opus*, *clivus arduus*, *gravisque sarcina*. Peculiari enim FRANCISCI I. Regis Nostri Religiosissimi, Regnique et Ecclesiae deliciarum, beneficentia primum designatus, deinde vero vester renunciatus sum Archiepiscopus auctoritate PII VIII., cui non ita pridem universa Christiana Respublica commissa fuit ut eam suis

humeris sustineret. Quid facerem aut quid consilii caperem prorsus nesciebam. Angebar enim animo ac vehementissime dolebam cum perpenderem, quibus animi ac virtutum ornamentis praeditum esse oporteat eum qui pascendis gregibus praeficitur, et quem *irreprehensibilem* esse jubet Apostolus ad Timotheum. Illud praeterea me sollicitabat, infinitis propemodum curis ac laboribus fungi, et gravissima pericula perpeti opus esse Episcopo ut naviculam sibi concreditam ad littus salvam incolumemque perducat. Exhorrescebam autem cum meditabar, Filium hominis, cum venerit in majestate sua, commissarum ovium rationem a Pastore districte exacturum, et, si quae perierint, illarum sanguinem de ejus manibus exquisiturum.

In acerbissimis hisce rerum, quibus undique conflictabar, angustiis, illud unum me recreabat ac reficiebat, quod videbam quae et quanta sit semperque fuerit Fidelium mihi creditorum pietas, quae in suos Pastores observantia, qui erga Ecclesiam amor, qui mores, quae religio. Memoria repetebam Ecclesiam hanc ab ipso Apostolo Paulo fundatam nunquam Fidei, quam semel acceperat, depositum deseruisse, sed illud diligentissime continuo servasse et custodiisse, quin immo in tam longa saeculorum serie, in tot jactationum fluctibus, in tanta turbulentissimorum temporum procella, semper ipsum speciosius et constantius ex illis calamitatibus emersisse, in mutuamque concordiam mentes hominum pro Religione tuenda concitasse. Recogitabam etiam, laetoque animo recordabar, Rheginam Ecclesiam a tot Pastoribus non minus pietate ac sapientia, quam sacra purpura illustribus gubernatam fuisse, ac nuperrimis hisce temporibus a spectatissimo et nunquam satis commendato Viro *Bernardino Maria Cenicola* ex meo Ordine, quem honoris causa nominatum volo; quamquam cum iis neque sapientia, neque virtute, neque ulla alia ratione sim comparandus. Si in eorum exempla dies noctesque intuerer, ac si eorum vestigiis diligenter, quantum possem, insisterem, tutissima mihi spes affulgebat fore ut qui humilia respicit et potens est suscitare de lapidibus filios Abraham, et vocare ea quae non sunt tamquam ea quae sunt, quique non secundum merita nostra, sed secundum propositum suum et gratiam suam

elegerat me Pastorem populo suo et Patrem filiorum suorum, idem ipse divina daret auxilia in tempore opportuno, et efformaret in me novum hominem juxta cor suum, quo possem plane perficere ministerium salutis ad consumationem Sanctorum, in aedificationem Corporis Christi.

Haec omnia me nonnihil, ut par erat, recrearunt et confirmarunt. Itaque vester jam inauguratus Archiepiscopus mystica sacri Chrismatis unctione perfusus sum ab EMINENTISSIMO, AC REVERENDISSIMO D. D. BARTHOLOMAEO EPISCOPO PORTUENSI ET S. RUFINAE CARDINALI PACCA, Sacri Purpuratorum Patrum Collegii sub-Decano, cujus eximiam in me voluntatem nunquam satis condigne pro meritis laudare potero. Qua vix accepta manum calamo statim admovi, ut Epistolam hanc Pastoralem vobis darem nuntiam et testem paterni in vos animi ejusque caritatis, qua vos omnes in Christo jam complector.

Utinam vero selectus ego ex tot gravissimis et sapientissimis viris, tantoque honore praeter omnem opinionem cumulatus, is profecto essem qui pro rei dignitate, pro universae Dioecesis expectatione, pro REGIS Nostri voluntate, pro PONTIFICIS O. M. desiderio, nihil unquam nisi severissime et gravissime facerem, et tanto muneri sustinendo ex parte saltem par invenirer! Quî tamen id possim in hac mea virium tenuitate? Multa mehercule! potero si mihi praesto eritis, Amplissimi *Metropolitani Templi Canonici*, quos primum alloquendos esse dijudico. *Vos*, et non alii, Archiepiscopi Senatus et Consiliarii jure meritoque appellamini. Lumen quippe clarissimum virtutum omnium rectaeque ac solidioris doctrinae a vobis omnibus pro singulari vestra dignitate, nostra istaec praestolatur Ecclesia. Ejus vos splendidiorem coronam portionemque illustrem constituitis. Itaque *Vos* oro obtestorque ut diligatis quantum maxime decorem domus Dei, et locum habitationis gloriae ejus, atque statos solemnesque Ecclesiae ritus apprime servantes, debita cum mentis attentione ac pietatis sensu, laudes hymnosque spirituales in cordibus vestris Domino scite decenterque psallatis. Ita fiet ut non modo accolae atque indigenae, sed etiam convenae et peregrini suspiciant ac demirentur qua diligentia, qua pie-

tate , qua religione Deo hostiam laudis offeratis. Illud itidem vos deprecor atque obsecro ut omnibus etiam virtutum ac bonorum operum exemplo praefulgeatis , et in statu , incessu , accubatione , sessione decorum illud teneatis , illud , inquam , vestrum ; in loquendo adeo considerati et parci ut nullum plane verbum nisi consulto ac meditato proferatis. Quae si , ut spero , praestiteritis , minime addubito quin futuri eritis Ecclesiae nostrae decus , luminaria in templo Domini collucentia , atque adeo gaudium meum et corona mea.

Sed male ego merear de *Canonicis* in *Collegiata Ecclesia* sedentibus , si eos silentio hac mea epistola praeteream. Itaque et Vos compello , et alacri lubentique animo in Domino excipio. Illud vos deprecor primum ut contentiose in Domini Vinea quisque vestrum deambulet , solliciteque hymnis et canticis Dei nomen ea qua decet reverentia , distinctione , devotione , animi ardore laudet ac prosequatur. Sollicite item omnimodis curate vosmet ipsos probabiles exhibere Deo : sic eidem in Sancto apparentes ut illius virtutem et gloriam habeatis perspectam et cognitam. Vestrum sit ubique non leviter pressa sed altius fixa virtutum omnium vestigia relinquere , ac ita Domino in Ecclesia benedicere ut adipe et pinguedine repleatur anima vestra , exemploque vestro omnis plebs laudes Deo persolvat , ex quibus tanquam ex proprio perennique fonte omnia bona dimanant ac profluunt.

Haec quae vix leviter attinxi , ante oculos suos et sibi ipsis proponant spectatissimi *Animarum Curatores* , quos tertio loco nostra haec appellat epistola. Cum sua cuique Ecclesia , veluti sponsa lectissima , tradita sit custodienda , tali eam debet caritate diligere , tali studio excolere ac perpolire , ut despecto turpi lucro , in summa etiam facultatum tenuitate , semper munda , semper nitens , semper laeta intuentium oculis atque admirabilis appareat. Hinc ut praecaveatis vos moneo ac deprecor , ne quid in ea committatur quo cultus , locusque ipse despectui haberi videatur. Sed et illud enixis a vobis oro precibus , ut omni studio omnique labore in id unum incumbatis , ut vigilantia Pastores , amore autem Parentes , oves vestrae fidei creditas ad salutaria pascua deducatis , et excubetis solerter

ne quis lupus in ovile subrepat. Contemptores autem Legum, si qui erunt, arguite, increpate, obsecrate, in omni tamen patientia et doctrina, et tamquam *murus aereus et columna ferrea* tanta animi firmitate ac robore omnibus eorum conatibus obsistite, tela retundite, frangite impetus, ut a via iniquitatis, quam miserrime inierunt, tamdem aliquando emergant. Demum vos apprecor ut in habitu modestiam et gravitatem, in loquendo prudentiam et sagacitatem praeseferatis, nullumque plane verbum vobis excidat nisi de re quae prius animo concepta matureque fuerit perpensa. Neque enim *potest auctoritatem* (inquit Cassiodorus) *habere sermo qui non juvatur exemplo.* Oportet itaque ut re et exemplo jacentes erigatis, labantes sustineatis, indormientes excitetis, ignaros edoceatis, omnes praemoneatis, confirmetis, nulla ut de causa ab fide, ab religione, ab officii ratione sese dimoveri patiantur. Neque a vobis negligenda puerorum in rudimentis fidei ac doctrina morum institutio. Qua quidem in re nihil, quod vestrarum partium sit, a vobis desiderari volo. Dum autem eos patienter ac comiter docetis, ita praecepta omnia explanate, sententiasque adhibitis illustrate comparationibus, ut ad illas percipiendas tantummodo similem hominis esse sufficiat. Semel, iterum, tertio eamdem rem, si opus est, inculcate, nec quiescite donec ab omnibus intellecta sit atque percepta. Uno verbo: omnia comminuta, mansa, contrita, veluti nutrices in os infantis, ita in animos puerorum conamini ingerere. Recordamini demum, cultissimi animarum doctores, vestrum esse (vos alloquendi finem facio verbis Concilii Trid. sess. 23. cap. 1. de reform.) *oves vestras agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbique divini praedicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium exemplo pascere, pauperum aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, et in caetera munia pastoralia incumbere.*

Non leve etiam adjumentum muneri nostro rite exacteque obeundo praestituros esse confidimus *Sacerdotes*, quot quot, partem haereditatis vestrae Dominum elegistis, quorum omnium eo spectant opera ut divinum promoveant cultum, ut christianam plebem in meliorem revocent frugem, ut animarum sa-

* * * *

lutis negotium unice perficiendum curent. Neminem vestrum ignorare arbitror quid pro muneris vestri sanctitate Deo, quid Catholicae Ecclesiae, quid PONTIFICI O. M., quid REGI Nostro, quid Cattholicae Ecclesiae,quid vobis met ipsis denique debeatis.Qui Sacerdotio praediti estis *nolite negligere gratiam* (ad Tim.1.cap.4.) *quae data est vobis per prophetiam cum impositione manuum Presbyterii.* Neque enim ex iis vos esse reor qui suo munere satis superque perfunctos esse authumant, ubi sacris fuerint quotidie operati, horasque canonicas examussim recitaverint, ac interim talenta ipsis a Deo tradita humi condentes, haud eadem curent, uti par est, occupare. Nonne isti in servorum inutilium numero censentur, quibus jure meritoque Pater familias exprobravit: *quid hic statis tota die otiosi?* Vos itaque deprecor enixe ut otio, omnium vitiorum fomite et seminario, plane depulso, digne *ambuletis in vocatione qua vocati estis.* Non modo enim modestia, probitate vitae, gravitate morum, verum etiam fusis assidue Deo precibus, quotidiana ac sedula rerum divinarum meditatione, caeterisque omnibus pietatis officiis, vobis ipsis ac populo demeribitis Deum.

Dixi hactenus de Sacerdotibus: restat modo ut aliqua breviter subtexam de *Levitis*, *ceterisque minoribus ordinibus initiatis*, quos omnes maximo animi studio paternaque caritate, ut dilectissimos filiolos, amplector. Enim vero incedendo in veste clericali, abstinendo ab alea, a spectaculis publicis, a saecularibus negotiis, fugiendo desidiam, qua nihil est in Dei famulatu periculosius, animum excolendo virtutibus, mentem disciplinis iis, quae propriae sunt Ecclesiasticorum, et vos ad Sacerdotalem dignitatem ea, qua par est, cura studioque parabitis, et caeteris omnibus ad recte congruenterque christianae professioni vivendum incitamento esse poteritis quam maximo: *Nihil est* (inquit apposite Tridentina Synodus *sess.* 23. *cap.* 1. *de reformat.*) *quod alios magis ad pietatem et Dei cultum assidue instruat quam eorum vita et exemplum qui se divino ministerio dedicarunt. Videte igitur*, ut S. Caroli verbis utar, *quam valde intentos vos esse oporteat ministeriis vestris*, *et quam magna vitae morumque castitate praeditos.* Si quem autem reperiam (quod absit, quodque nun-

quam futurum pro certo habeo) qui perspectae morum probitati doctrinae laudem in sacris praesertim disciplinis conjunctam prae se non ferat, ei me nunquam manus impositurum, neque ut primis initietur ordinibus, neque ut ad superiores ascendat, jam nunc apertissime praenuntio, quamvis dolens maerensque. Atque hac quidem in re tam obfirmato animo me perpetuo futurum profiteor, nullis ut unquam neque precibus, neque commendationibus, neque patrociniis a proposito dimoveri patiar.

Quamquam quae huc usque spiritualia adjumenta recensui cum indistincte expectanda sint ab omnibus qui ecclesiasticae militiae nomen dederint, tum ab iis praesertim *adolescentibus* qui in *Seminario* nostro *sicut novellae plantationes in juventute sua* in spem Ecclesiae succrescere curant; quos hic etiam alloqui lubet. Vos itaque tanquam *filios carissimos monemus in Christo Jesu* (inquit Jacobus 1. *vers.* 27.) *ut vos caute custodiatis ab hoc saeculo.* Gestamus vos quidem in sinu, et fore tandem in commisso nobis agro cultores bonos ac navos tuto confidimus. Dociles sitis ad disciplinam, patientes in laboribus, ingenio mites, doctrinarum percupidi, in majores natu Doctoresque vestros observantissimi, morum demum innocentia, vitae candore, verecundia summa commendati. Eos actutum sumite sensus ac spiritus qui sunt sacerdotalis officii dignitatisque proprii. Eam autem quam vel animi vel ingenii vestri expectationem concitavistis, eam cumulate sustinere tutarique, quantum in vobis est, perpetuo conemini.

Tempus est sermonem ad vos convertere qui, dato in *Religiosis familiis* nomine, posuistis in montibus Myrrhae refugium vestrum. Incredibili profecto laetitiae voluptate perfundimur ornamenta conspicientes quibus nostra circumdatur sponsa ex vestris recessibus. Nedum enim praeclara virtutum exempla perpendimus ac suspicimus, quibus mirifice eam tuemini ac commendatis, quam divino beneficio nacti estis, vitae conditionem, sed et illam praeterea operam, sollicitudinem, studium demiramur, quibus in nostro grege curando adjuvandoque in summa etiam locorum asperitate utiliter navaterque collaboratis. Haec pro nostris ovibus studia, hasce curas pieta-

ti, amori, fideique vestrae commendamus quantum maxime, certumque animo habentes fore ut vos praestituri sitis supra id quod concipere mente possumus, in vestra religione ac sedulitate conquiescimus. Cum vero *messis quidem multa sit, operarii autem pauci*, oramus vos ac obtestamur, ut non sacro tantum eloquio ac exemplo, verum etiam quaque alia ratione potestis nobis praesto sitis et gregi quem custodiendum accepimus.

Haec de *Venerabilibus sacrarum familiarum Alumnis*: quod sequitur de *Virginibus* Deo sacris. Num ab me silentio vos praetereundae? Nonne castissimae Vos estis Christi Sponsae quae veluti lilia ex hortis conclusis fragrantia tam varie et eleganter Dei Ecclesiam exornatis? Nonne oblitae cognationis vestrae et domus Patris vestri laetantes in domum Domini convolastis? Ut retineatis vos precor consilii vestri perseverantiam, et ut permaneatis constanter sedatoque animo in vocatione in qua vocatae estis. Quoniam vero constituistis abjectae esse in domo Dei magis quam h abitare in tabernaculis peccatorum, videte quaeso, idque unum curate, ut nunquam respiciatis retro, ac ne quid omnino in vobis adhaereat quod saecularia sapiat desideria, vel tantulum offendere possit Eum cui tam solemniter fuistis desponsatae. Itaque estote velut *Columbae in foraminibus petrae et in caverna maceriae*, *reddentes Altissimo vota vestra*, eique uni et non alteri vestras mentes purissimas, vestras cogitationes omnes, vos ipsas totas consecrate, quem ex millibus elegistis. Ob id non modestia tantum, sobrietas, continentia, morum integritas, paupertas, obedientia, caeteraeque omnes animi dotes colendae a vobis, sed et mortificatio Jesu Christi in corpore vestro ita circumferenda, ut cum Divo Paulo jure affirmare possitis: *Vivimus nos, jam non nos, vivit vero in nobis Christus*. Ex quo sane fiet ut cum caelestis advenerit sponsus januamque pulsaverit, vos ornatis ac splendidis eum lampadibus ovantes ei obviam exire poteritis, et una cum eo introire ad nuptias in aeterna tabernacula. Sed quid ego in his diutius immoror? Eritis et vos gaudium meum et corona mea.

Ad Magistratus amplissimos, *Patricios caeterosque viros generis nobilitate praestantes* sermonem meum converto. Vos uti totius Civitatis facile principes praecipuum ornamentum ac decus Dioecesis nostrae constituitis. Haud vos pigat ut pro mei muneris partibus hic ea usurpem quae Apostolus scribit (1. ad Timot. v.17. seqq.) *Divitibus hujus saeculi praecipio non sublime sapere*, *neque sperare in incerto divitiarum sed in Deo vivo qui praestat nobis omnia abunde ad fruendum : bene agere, divites fieri in bonis operibus*, *facile tribuere*, *communicare*, *thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum ut apprehendatis veram vitam.* Etenim vestrum ad exemplum caeteri omnes plerumque componuntur, et in vestros mores intuentes eisdem suos perfacile accommodant. Vestrum erit non modo aliis antecellere exemplo, verum etiam ad omne opus bonum familiaribus sermonibus illos excitare, quod plurimum sane valet ad christianam plebem et in officio continendam, et in nostra Religione confirmandam.

Vos nunc compello *viros et mulieres qui matrimonii vinculo conjuncti estis.* Cautim a vobis deambulandum : subjecti invicem unus alteri esse debetis in timore Jesu Christi. Etenim Matrimonium Sacramentum dicitur *magnum in Christo et Ecclesia.* Opus itaque ut suam quisque vir, sicut se ipsum, uxorem diligat, eique totum se dedat: uxor autem suum virum, tanquam caput a Deo constitutum, vereatur, eique soli suas curas, suum amorem impertiatur. Ex matrimonio suscepta masculina soboles? A prima pueritia erudite illam, severa disciplina educate, cavete ne ab ipsis incunabulis profanos hauriat spiritus. Faeminea adnata proles? Servate caute illarum corpus, severum cum illis induite vultum, minimeque ad illas ostendite hilarem faciem vestram. (*Eccl.* 7. 25. 26.) Pernecesse itaque vobis ut in loquendo sitis adeo considerati ut in omni sermone urbanitas cum verecundia et gravitate conjuncta appareat ; atque ita sitis compositi moribus vitaeque integritate ut filii vestris exemplis edocti iisdem vestigiis, ut vos, insistant. Filiorum vicissim erit in omni opere, sermone, omnique obsequio suos honorare Patres suasque Genitrices, quod est praecipuum in promissione mandatum. Si hanc agendi rationem inieritis, su-

perveniet vobis benedictio, et illorum benedictio manebit in novissimo (*Eccl.* 3. 9. 10. *Ephes.* 6. 2.) Utinam vero ita faxit Deus!

Postremo vos alloquor omnes quotquot estis *dilectissimi in Christo filii*, cujusque conditionis, aetatis, sexus et fortunae, vosque omnes in osculo pacis complector. *Sine fide impossibile est placere Deo*, clamat Apostolus, et *sine ea*, subdit Leo Magnus, *nihil sanum*, *nihil bonum*, *nihil purum*, *nihil vivum*. Oportet igitur ut in omnibus sumatis scutum fidei in quo possitis omnia tela nequissimi ignea retundere et extinguere. Fidei autem depositum, quod, Deo opitulante, a Majoribus vestris accepistis, intactum ac incolume posthac religiose custodite. Fidem porro excipiat caritas, primum quidem erga Deum, omnia ejus mandata nitide servantes, quoniam ipse prior dilexit nos. *Fecit enim Deus rationabilem creaturam* (apposite inquit Augustinus) *ut summum bonum intelligeret*, *intelligendo amaret*, *amando possideret*, *et possidendo frueretur.* Hoc semper vehementer optavimus, hoc unum votis omnibus ac precibus ab Deo petivimus. Deinde vero in alios homines, ut ea amoris, benignitatis, ac miserationis officia libentissime exhibeatis omnibus, quae ab his erga vos met ipsos praestari velletis. Nam fides sine operibus mortua est, et si caeteris virtutibus praefulgeatis, caritatem autem (quae in operis exhibitione potissimum consistit) non habueritis, nihil, docente Apostolo, nihil omnino eritis. Quare cum eodem Apostolo dicam: *Omnis amaritudo*, *et ira*, *et indigentia*, *et clamor*, *et blasphemia tollatur a vobis cum omni malitia. Estote autem invicem benigni*, *misericordes*, *donantes invicem sicut et Deus in Christo donavit vobis*, *et ambulate in dilectione sicut Christus dilexit nos*, *ut caritas Dei*, quae est vinculum perfectionis, et pax Dei, quae exsuperat omnem sensum, inhabitet abundanter in cordibus vestris. Haec si perficietis non peccabitis aliquando, sed per bona opera certam vestram vocationem et electionem facietis, et ministrabitur vobis introitus in aeternum regnum Domini nostri et Salvatoris Jesu Christi.

Num autem haec omnia, uti oportet, perficere poterimus, nisi orationi instemus vigilantes in ea in gratiarum actione, ut

divina assequamur auxilia quibus omnino indigemus? Neque enim sumus sufficientes cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est. Accedamus igitur unanimes ad thronum gratiae, et cum advocatum habeamus apud. Patrem Jesum Christum Dominum nostrum, eum votis omnibus suppliciter obsecremus ut effundat super nos spiritum gratiae et precum, et emundet conscientiam nostram ab operibus mortuis ad serviendum Deo viventi. Id autem quo facilius impetremus deprecatricem adhibeamus apud Deum DEIPARAM VIRGINEM, quae et Dioecesis Patrona maxima, et cui in Coelum assumptae Metropolitana Ecclesia nostra dicata, ut convertat ad nos suos misericordes oculos, nosque benigno vultu respiciat in omni tribulatione nostra. Deinde vero suffragia petamus eorum Caelitum omnium quorum praesentissimo gloriamini patrocinio, et quorum sacri cineres apud vos religiose asservantur, et quos potissimum colendos curatis.

Jamvero ubi precationibus obsecrationibusque vestris Deo acceptis bona omnia in vos erunt derivata, et mala omnia, si quae in vos incumbunt, erunt amota, vel potius disjecta et eversa, vos oro obtestorque ut Deum deprecemini pro PIO VIII. PONTIFICE MAXIMO, quem ad Catholicae Ecclesiae gubernacula singulari Dei ipsius beneficio et arcano divinae Providentiae consilio nobis nuper oblatum atque datum in Petri Cathedra sedentem nunc suspicimus ac demiramur: siquidem ea perficiet PIUS VIII. *quae omnium saeculorum posteritas semper intuebitur, et per titulos memoresque fastos memoria colet sempiterna*, quod de ejus Sanctissimo Decessore Pio VII. in Urbem reduce die ix. Kalendas Quintiles anno 1814 dictum audivimus. Deinde vero preces effundite pro pientissimo REGE NOSTRO FRANCISCO I., (quo imperante fortunatum utriusque Siciliae Regnum, felices populos quibus ipse Rex obtigit) pro ELISABETH REGINA NOSTRA, ejus Conjuge lectissima, Regni amore ac deliciis, et virtutibus omnibus cumulatissime decorata, ac demum pro AUGUSTA SOBOLE, ut iis omnibus salvis atque incolumnibus frui nobis liceat quam diutissime.

An vero dum orationibus ita vacatis mei eritis immemores? Absit istaec animi mei fluctuatio. Recordemini quaeso mei qui

non cesso pro vobis orans et postulans ut impleamini agnitione voluntatis Dei, ut ambuletis digne Deo per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes, et crescentes in scientia Dei, solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Assiduas pro nobis fundite preces ut detur nobis sermo in aperitione oris nostri, et quidem cum fiducia, ut deducat nos Dominus in omnibus nostris operibus sobrie, graviter, benefice: ut in sua potentia nos custodiat, utque sint Deo accepta opera nostra, utque nobis sua Deus concedat auxilia, quibus digne adimpleamus ministerium nostrum, nosque exhibeamus dispensatores fideles multiformis gratiae Dei. Atque utinam cum apparuerit coelestis ille Pater familias nostrae villicationis rationes initurus, non de neglecto agro suo nos condemnet, sed de bene culto, divina sua opitulante manu, coronet!

Quae cum ita sint, nihil aliud, *venerabiles fratres in Christo carissimi*, mihi restat in hoc epistolae meae exitu, nisi ut vobis significem me quam primum ad vos advolaturum, meumque flagrantissimum desiderium vos coram alloquendi expleturum. Hinc eo, quo par est, amore vobis omnibus fausta ac fortunata precibus a Deo petam universa. Pauca scripsi ex multis quae vobis dicere exoptassem. Aperiam caetera cum ero in medio vestri, et cum dabitur Ecclesiae, tanquam sponsae mihi a Deo O. M. per summam misericordiam ac benignitatem traditae, connubio obligari sempiterno. In corde Jesu Christi vos amplectens Deum obsecro obtestorque *ut pax Dei quae exsuperat omnem sensum, ipsa custodiat corda vestra et intelligentias vestras in Christo Jesu.*

Dabam Romae extra Portam Caelimontanam VII Kalendas Quintiles die sacra Sancto Philippo Nerio ipsa Consecrationis nostrae Anno MDCCCXXIX.

NIHIL OBSTAT

Fr. Placidus Tadini Ord. Carmel. Cens. Theol.

IMPRIMATUR

Fr. Joseph M. Velzi S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR

Joseph Della Porta Patr. Constant. Vicesg.

